
3

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CYNANCHE LARYNGEA.



A. Mucus Inspissatus sanæ membranæ mucosæ leviter adhærens

Cameron, delt. E. Mitchell.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CYNANCHE LARYNGEA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS DOUGLAS CAMERON,

SCOTUS,

COLL. REG. CHIRURG. EDIN. PERMISSUS, NECNON SOCIETAT. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.

MDCCCXX.

JACOBO HOME, M. D.

MATER. MED. IN ACADEM. EDIN. PROF.

COL. REG. MED. EDIN. SOC. &c.

CUI

Tam me decet hoc dedicare tentamen, quam inclyto viro, sub quo, in Nosocom. Febril. Edin. medicinæ quicquid mihi cognitum est practicæ didici.—Vel claro filio præclari viri, qui primus morbum descripsit, de quo paginis agitur sequentibus.

GEORG. D. CAMERON.

To Robt. Liston Esqr
with ~~the~~ best wishes
from the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CYNANCHE LARYNGEA.

Auctore Georgio D. Cameron.

Res, de qua nunc disserere aggredior, non solùm medicinam excolentis, sed etiam eorum omnium quibus contingit singulas mutationes in corporibus infantum observare, magnopere interest.

Cynanche Laryngea adhuc majoris momenti est, eo quod plerumque liberos adoritur, quo tempore peculiaria morborum suorum nec clare nec aperte monstrare possunt. Porro, tam insidiose et rapide obrepit, ut

multo ante anxiis parentibus occurrit, a medico præsidium petere; aut ægrotatio diutina, aut tarda macies urguens periculum eos monent—ii quos habent carissimos ab amplexibus eorum in perpetuum erepti sint.

Accedit huc, quod fere eos sanos validosque infantes invadit, qui cognatos improvidos credere ducunt, saltem ad tempus, eos ab aliquo gravi vel lethifero morbo esse defensos. Ante omnia licet memorare, ægrum juvenem etiam ad sanitatem redactum, si, temperie cœli subito mutata, frigori quoquomodo oblatus fuerit, huic affectui magis obnoxium fieri.

Hic morbus non fuit cognitus, saltem in scriptis medicorum nunquam memoratus, donec Doctor *F. Home* * annos fere sexaginta quinque, præcipua ejus indicia accurate descripsisset; tamenetsi *Michaelis* † in hac re

* Fra. Home—Inquiry into the Nature, Cause, and Cure of the Croup.

† Michaelis (Christian Frider) de Anginâ Polyposâ seu Membranacea—in 12mo. Argentorati 1778.

tractanda dicit, eum olim non solum cognitum, sed etiam et *Tulpio* et *Bontio* accurate descriptum fuisse; atque *Ghisi* Italum cui, anno circiter 1749, sub forma contagiosi morbi sese obtulit, rem bene exposuisse. Sed cur hic singularis periculosusque affectus tamdiu neglectus, et tam parum intellectus fuisse videretur, certe maxime mirum est.

Nemo enim dubitare potest eum plus minusve in omni ævo prævaluisse, quoniam causas ejus olim agere æque ac nunc existimare oportet.

Hoc vitium, in Scotia sub nomine *Croup* tam bene notum, ex signis ejus præcipuis nuncupatur.

Suffocatio Stridula,—a Doctore Home.
Asthma Infantum,..................Millar.
Cynanche Laryngea,...............Cheyne.
Trachēitis Infantum,...............Albers.
Cynanche Stridula,.................Crawford.
Angine Polypeuse,..................Vicq d'Azyr.

Doctor Cullen, in ejus laudata Nosologia, hunc morbum tertiam speciem Cynanchis (*i. e.* C. Trachealis) collocavit,—Ord. Phleg. Clas. Pyrex. Et quæ brevior aut melior ejus definitione possit, " Respiratione difficili, in-" spiratione strepenti, voce rauca, tussi clan-" gosa, tumore fere nullo in faucibus appa-" renti, deglutitione parum difficili, et febre " synocha." Nomen ab Cheynio ei datum, videlicet optimum omnium quæ adhuc proposita sunt, selegimus.

HISTORIA.

Hic morbus situ affici videtur. In paludosis terris, et locis vel mari vel amplis fluviis et lacubus vicinis, fere semper adest.

Contra, in mediterraneis regionibus videre eum rarissime datur. Multum etiam a statu tempestatis et vicissitudine temporum pendet. Ubi enim aër humet, ejus vastationes sunt formidolosissimæ. Sed nunquam apparere,

dum æther est aridus et fervens, satis bene notum est.

Nec uni parti orbis terrarum est peculiaris. Torridarum incolæ regionum populationibus ejus tam obnoxii quam mitiorum terrarum indigenæ sunt. Sic non solum in oppido et insula *Bombay** frequenter occurrit, sed multi ævo maturi eo laborantes, id quod a medicis quondam negatum est, mortem occubuisse cogniti sunt. In America Septemtrionali, propter ejus numerosas paludes et amnes, maxime prævalet. In Hibernia etiam, præcipue circa *Mullingar* in provincia *West Meath*, quæ abundat lacubus, C. Laryngea est commune plurimorum vitium, et, æque ac in *Scotia*, ardens et periculosa.

Edinburgi et in ejus vicinitate, morbus est bene notus; et potissimum iis temporibus, aut potius vicissitudinibus temporum, frigi-

---

* Dr Macgrigor (now Sir James) on the Diseases of the 88th Regiment in Bombay.

dus cùm Cæcias densus et humidus ab oris incumbit, et fere perpetuo perflat.

Vicinitas hujus urbis, ex eâ marinæ auræ compluribus locis omnino expositâ, huic affectui magis favet. Et tamenetsi cultis agris et nitidis villis longe lateque nunc cincta, locus editus in quem condita est, olim e medio amplarum paludum extitit, atque tam cupidus erat populus bello vel persecutione ad ipsum castellum appropinquandi, multa diversoria juxta ejus basin in sublicas esse constructa *. Sed his omissis, subitæ tempestatis mutationes in hac parte insulæ, hujus affectus toties occurrendi ad causam explicandam sufficiunt. Interdum enim tantam aëris temperamento mutationem, quantam viginti graduum per breve spatium unius diei observare solemus †.

Ex quo fit, Cynanchem Laryngeam exeunte

---

* Prælect. Clin. Doct. Home.

† Ibid.

autumno et ineunte vere præcipue prævalere. Et ut ad mare viâ Leith aut Musselburgh appropinquamus, hic morbus non solum sæpius occurrit, sed etiam indicia ejus ingravescunt, et ad extremum lethiferumque gradum magis atque magis propinquant.

Multi scriptores, e quatuor vel quinque familiaribus eodem tempore Cynanche Laryngea afflictis, asseverârunt *, eam esse contagiosam. Sed ii non cogitavere hos omnes infantes eidem causæ excitanti, videlicet, aëri humido et frigido esse expositos. Mihi visum est igitur, una cum celeberrimis eorum qui de hac re disceptarunt †, concludere, eam sine dubio non contagiosam esse.

Doctor Home dicit, hoc vitium infantes raro afficere priusquam a mamma disjuncti

* Field—Mem. Med. Soc. Lond. Vol. V. p. 165.

† Underwood—Diseases of Children, Vol. III. p. 352. Hamilton—Diseases of Children.

sint; atque ex eo tempore ad annos usque quinque aut sex, ejus tentationibus plus minusve obnoxios esse. Michaelis autem aliique censuere, id toties adultos quoties infantes invadere; nisi quod adulti, lymphaticam exudationem, antequam solida membrana facta fuerit, expectorare; atque hoc modo eam suffocationem, quæ fere semper mortis causa proxima est, prævenire possint.

Doctor Cheyne morbum in quatuor stadia dividit, quæ, loquela, tussi, et halitu, distingui possunt. Sed mihi videtur, duo stadia omnes mutationes continere, de quibus ejus quadruplex distinctio pendet. 1*mo*, Tussis clangosa in eam insolitam argutam cantui galli similem celere abiens. 2*do*, Vox stridula atque tussis, quæ in susurram et pene suffocatam vocem velociter transit.

Primo stadio hujus ægrotationis signa inflammationis patescunt; atque tunc ut medicus viribus ejus enitatur quam plurimum necesse est. Parvulus æger, priusquam in hunc

morbum incidit, per paucos dies communi catarrho afflictatur; atque ante ipsum impetum languidior est quam solebat: Cutis tactui calida est, et levis difficultas spirandi supervenit: Pulsus plenior fit et magis frequens. Difficultas spiritus nunc increscit, et clangosa tussis insolita comitatur; quæ magis atque magis ingravescit, donec in eum sonitum canorum penitus abierit; qui, quia cantui stridulo gallinacei similis est, morbo fere passim nomen dedit. (In hoc signum, ut hujus vitii indicium verum est, diligentissime attentissimeque incumbendum est). Oculi nunc aquosi, hebetes, et sanguine suffusi evadunt. Cutis fit fervida, pulsus durus et validus, et per sexagesimam partem horæ circiter 135. Spiritus frequens atque sonorus est; tussis et vox rauca, uti cum tubus metallicus sonos edit. Vultus rubore suffunditur, sed rubore calori et fatigationi tribuendo. Æger est timidus ac meticulosus; oculi suffusi, et sæpenumero clausi.

Stadium Secundum.—Indicia, partes an-

tea inflammatas fuisse, nunc ostendere incipiunt, (nam, ægrum per primum stadium inflammatione laborare, non dubitare potest). Porro effusio obvenit, et quam expes sit quisque bene scit. Nunc etiam sanguinis cursum esse impeditum deprehendere incipimus. Pulsus fit minor et valde celeris; mucosa materies exscreatur; oculi pupillis dilatatis prominent; vultus ferrugineus evadit; oculi fiunt membranacei; extremitates frigidæ et tumefactæ sunt; et nunc suffocatio, convulsionesque horrendæ, miserum de medio tollunt.

PRÆCIPUA SYMPTOMATA.

RESPIRATIO.—Hæc symptomata, secundum pondus eorum, disserere conabimur. Et nemo negabit, medicum ad respirationem animum advertere præcipue oportere.

Ubi difficultas spirandi supervenit, ægrotus capite reflexo jacet. Respirationes ejus, etiam

intervallo non parvo, dinumerari possunt Et, ut Albers dicit, expiratio est aspera et profunda, (in Basso dicunt Itali), et inspiratio acuta et stridula. Musculi quoque faciei, pectoris, ventris, et diaphragmatis, maxime intendi sæpenumero observantur. Præterea, larynx sursum trahitur, nares dilatantur, atque vultus mirum in modum penitus mutatur. Necesse est, ut hæc impedita respiratio ipsum circuitum sanguinis perturbet. Inde pulsus fit frequens, parvus, intermittensque; venæ in collo turgescunt; facies livida est; cutis glutinosa, viscida, et humida; hebescunt oculi, et manus pedesque tument. Rebus sese ita habentibus, æger dormitum se conferre exoptat. Sed etiam hoc temporali solatio non frui potest; magna jactatione ac adventante suffocatione confestim e somno excitatur.

Multi scriptores adducuntur ut credant, hæc omnia formidabilia symptomata a spasmo in fibris musculosis quæ tracheam ramosque ejus circumplicant, oriri. *Albers* autem negat

hoc se ita habere, et affirmat, difficultatem spirandi, ab exudatione lymphæ coagulatæ in interna tuborum spirandi superficie pendere.

Per primum stadium ægrotus manus ejus ad collum apud laryngem sæpenumero applicat. Albers voluit hanc rem symptoma considerare, atque illi nomen *contrectatio colli* imposuit.

Ex iis quæ de respiratione jam dicta sunt, apparebit, multa symptomata postremo stadio Cynanchis Laryngeæ nihil aliud esse nisi quæ ex hac functione impedita oriri possunt.

Effusio lymphæ.—Quidam scriptores stadia hujus ægrotationis secundum effusionem lymphæ digerere conati sunt. Sed hoc certe non confirmari potest. Albers, quidem, sic nervose dicit: " Quod si quis meam de hac re " sententiam requirat, eam declaro, uti eam " declaravi, nimirum, illius secretionis ini- " tium nescio, quia repente fit, et multis fere

"cum ipsa inflammatione supervenire vi-
"detur."

Cum autem secretio ita accumulaverit, ut in pulmones aditum aëris manifeste obstruat, symptomata, quæ inde exoriuntur, hallucinari non possunt. Cheyne hæc indicia sic bene describit: "The expiration is performed as if the tube were shut up by a valve, and this forced back with a flap, when the air returns from the lungs."

Tussis.—Quod ad tussim attinet jam significatum est, eam esse maximi momenti, eo quod non solum est præcipuum signum diagnosticum, sed etiam symptoma quod primum vulgum terret. Una cum catarrhi symptomatis quæ fere semper ipsum morbum præcedunt, orditur: postea, quamvis tarde, in sonitum cantui gallinaceo similem abit; qui, huic affectui fere ubique gentium nomen dedit—et de quo Albers jure dicit, "Habet "autem hic sonitus in tussientibus pueris

" proprium quoddam quem qui semel audi-" verit semper recognoscet."

Mors multimodis adducitur. Alias, ægrotus aliquo convulsionum interimitur, alias, evidenti apoplexia. Interdum etiam, ut Reillii dictione nervosa quamvis ineleganti, utar: " Placida morte extinguuntur, lucernæ " in modum oleo carentis." Ita repente suffocatio sæpe mortem affert, ut hic locus Alberi attentione dignissimus sit. " Sunt vero " etiam, qui repente suffocatione interimun-" tur, etsi jamjam sani videantur. Semper " recordor puellulæ, quæ ineunte tertio morbi " die convalescere visa, post meridiem, dum " sedens in gremio matris ludebat, vehementi " angore corripiebatur. Tumescente livida-" que facie exiliebat, et extincta cadebat, po-" mum quo oblectabatur, manu tenens."

SECTIO CADAVERIS.

Incisa larynge, membranam pituitosam plus minusve inflammatam semper videmus. A nonnullis scriptoribus hoc negatum est. Horum vero auctoritas clarorum, Home, Baillie, Reillius, Field, Cheyne, Heberden, qui affirmant signa inflammationis adesse, apud me plurimum valet. Corvisart quoque, in tractatu ejus de cordis ægrotationibus, signa inflammationis membrana laryngis speciatim memorat. Sed sæpenumero hæc indicia, propter secretionem lymphæ plasticæ, quæ, ut bene notum est, ab inflammatione pendet, non clare deprehenduntur. Sic, e quantitate lymphæ depositæ, de severitate primi stadii satis bene judicare possimus.

In aperiendis cadaveribus ægrotantium qui ab hoc morbo enecantur, materies peculiaris, varia specie, et interiori superficiei laryngis plus minusve tenaciter adhærens, medici ocu-

lis subjicitur. Superiorem partem curculionis fere occupat. In trachea, et ramis ejus, rarius inventa est. Sæpius formam membranæ sibi assumit,—aut potius, e fragminibus membranæ alium cum alio enormiter colligatis constare videtur. Membrana est interdum luteolo, interdum leucophæo colore *. Hanc membranam non semper observare datur. Quod depositum est, id pulpæ seu viscidæ molis, tubos spirandi obstruentis formam gerit. In aliis, molle est et facile laceratu; in aliis, maxime tenax concretioni ipsius laryngis assimile.

Albers, ex intima conjunctione pseudomembranæ cum ipsa trachea, et e superficie utriusque rubore notata, cum vi separatæ fuerint; asserit, membranam tandem sanguinem vehentium vasorum plenam fieri. Auctore ad hanc sententiam Soemmerring utitur, atque dicit, exemplum esse in *museo* illius præclari anatomici id confirmans. Hoc est

---

* Vid. Ed. altera Cheyne.

procul dubio maximi momenti, atque doctorum attentionem postulat.

DIAGNOSIS.

Ex præcipuis symptomatibus jam descriptis, non multa de signis quæ Cynanchem Laryngeam ab aliis morbis distinguunt necesse est dicere.

Primus impetus, quidem, nihil aliud est nisi communis catarrhus, sed eum, perinde quasi Cynanchem Laryngeam adventare prævidissemus, curare oportet; nimirum, frigus aliasque causas excitantes ægrotantibus cavendum est.

Complures scriptores multo effusius de diagnosi hujus morbi disseruerunt quam opus erat. Si enim tussis atque vox tales sint, quales describuntur; si reapse in larynge membrana sit; quanquam in uvula aut tonsillis, apthæ observatæ sint, aut paroxysmus scarlatinæ su-

pervenerit, vel cum ea complicatus sit, vel ullo alio morbo, nihilominus Cynanche Laryngea est. Sic tametsi idiopathica plerumque est, tamen quemadmodum aliæ phlegmasiæ, ægro aliis morbis laborante, symptomatica esse potest.

Quod attinet ad eam ab asthmate Millari distinctam, T. C. Albers * ita ut alicui satisfiat, demonstrat, Millarum Cynanchem Laryngeam describere, atque illi tantum nomen dare, perinde ut sua opinio erat de ejus natura.

Quinetiam lucide apparet, Doctori Millar non esse in animo morbum a Cynanche Laryngea diversum describere; sed, e contrario, *Home* quasi tractabat de ejus asthmate citat. Sed hæc controversia in presentiam his verbis Cheynii dirimi possit.

---

* In Commentar. de Diagnos. Asth. Millar strictim definienda.

"Until the advocates of the separate existence of spasmodic croup more fully assign and establish their grounds of belief, I am convinced that it will be for the benefit of the patient that we should act as if there were but one kind of croup, and of every mode of this disease, previous to the unequivocal formation of the second stage*."

CURATIO.

Quod curationi hujusce morbi maxime obfuit, aut saltem minime profuit, id est, ut quisque fere scriptor unum speciale remedium collaudet. Sic Doctor Hamilton jun. Edinensis arbitratur, ad sanguinis detractionem nunquam esse confugiendum; et quicquid facit, calomelani fiduciâ facit. Quinetiam, consilium sanguinis mittendi ita vituperat, ut etiam dicere audeat, talem rationem esse mor-

* Cheyne on the Pathology of the Larynx.

tiferam. His utitur verbis: "For the cure "of this formidable disease, practitioners for- "merly trusted chiefly to bleeding, with the "use of vomits and blisters as auxiliaries; but "the result of the practice was, in the more "favourable cases, a very considerable shock "to the constitution, and in the majority of "instances, the death of the child."

Cheyne, contra, qui sanguinis missionem tam studiose extollit, remedio quod apud Hamiltonum plurimum potest, vel minimum vel nihil fidei habet. Nunc, tametsi hi duo celeberrimi medentes omnino inter se discrepant, nonne utrumque remedium modice adhibitum proficiat?

Necesse est ut magna copia calomelani, Hamiltono præscripta, pleraque corpora damno afficiat. Nam e numero ægrorum in quibus hæc medicina tentata est, uni quinquemestri 32 grana spatio unius diei; alteri 84 grana, spatio 72 horarum data sunt; puella septennis, spatio 60 horarum aut paulo plus, 133

grana sumpsit. Ipse confitetur, eam, cum tam copiose adhibita est, esse valde perniciosam. "It is necessary to add," inquit, "that "I have now seen two cases, when, although "all symptoms of the croup were removed "by the use of calomel, the patient sunk "from the weakness which followed *."

Alii scriptores affirmant, horum alterutri remediorum nullam vim inesse; atque alia maxime dubia memorant. Doctor T. Archer, Hereford, Maryland in America, radicem *Seneka* magnis laudibus effert, et dicit, se eâ maximo cum fructu in hac ægrotatione sananda uti. Et Dominus Constance de Kidderminster, in Med. et Phys. Journ. tres casus describit, in quibus ad restituendam salutem digitalis sufficiebat.

Ob hanc causam, curationi nostri morbi toties infelix successus contigit. Ex hoc, ut

---

* Hamilton—Diseases of Infants.

quisque suo remedio speciali tam pertinaciter deditus sit, tanta discrepantia in eo levando exorta est.

Medici tamen percipere incipiunt tam vitium complicatum quam Cynanche Laryngea est singulis medicamentis sanari non posse. Nunc ad plura remedia confugere malunt. Et certe omnium rationum medendi hæc est longe efficacissima, ut celeberrimus Home, in ejus laudato tractatu, clare demonstrat.

Ut igitur multa auxilia necessaria videntur, sic quam celerrime sagacissimeque adhibenda sunt. Morbus enim, non solum repente supervenit, ut effuse supra memoravimus, sed etiam rapide ingravescit, et nisi tempestive caveatur, cito animam extinguit.

Primum remedium ad quod confugere demus, est *venæsectio;* et ea secundum ætatem ac robur ægroti adhibenda est. In robusto puero quinque aut sex annorum sanguis ad ℥x vel ℥xii cum exitu felicissimo mittatur, idque

pæne confestim. De puero autem tres annos nato plus quam ℥viii emittere non expedit. Nunc apparet, infantes sanguinis jacturam ferre posse duplo majorem quam olim existimabatur. Id manifestum est ex hoc—quod hodierno die in partibus *Italiæ* septentrionalibus, sanguis ad lib. i. de parvulis etiam leviter ægrotantibus detractus est. Ad corroborandam rationem Italorum medicorum, Doctor Ferriar dicit, (et res attentione digna est), in Cynanche Laryngea abunde emitti, et usque ad deliquium animi.

Hirudinum usus magnopere commendatus est, sed, e quibusdam casibus a Collardo memoratis, in quibus, propter vulnera morsibus horum animalium inflicta diu aperta, plurimum sanguinis profluxit, videtur hoc profluvium ægris maxime prodesse. Ex quo æquum est concludere *generalem* sanguinis missionem locali esse anteponendam.

Sanguine detracto, continuo *vesicatoria* applicari debent. Et certe, si satis ampla sunt,

magna spes in hoc remedio reponenda est. Unum ad superiorem partem thoracis, aut unum æque magnum inter humeros, apponere licet. Parvum etiam utrique lateri laryngis admoveatur; peculiari ratione habitâ parvis frustis linamenti tegere vulnera quæ morsus hirudinum inflexerint. Eo tempore calomelanus parvis dosibus frequenter repetitis dari debet, donec æger omnino purgari inceperit.

Royer Collard suadet, *emetica* esse danda priusquam sanguinem miserimus. Sed vix puto id rationi ejus medendi cætera maxime accuratæ constare. Si enim ut ipse pro concesso sumit, vasa sanguinea laryngis distenduntur; an vomitus ad vacuanda hæc vasa, aut ad præveniendam eam depositionem quæ est tantopere timenda, sufficiet? E contrario, emetica hoc ipso tempore id fatale stadium accelerabunt.

Quo tempore (*i. e.* inter initia prima secundi stadii) effusio incipit, atque susurra et

pæne suffocata vox auditur, emetica suppeditanda sunt. Hæc sunt Sulphas Zinci, et Ipecacuanha.

Tartras Antimonii parvis consectariisque dosibus est utilissima ad exhauriendam mucosam materiem quæ in trachea semper accumulatur. Præterea, hæc medicina spasmum evincit, et ante omnia, fructuosam diaphoresin efficit.

Si hæc remedia difficultatem spirandi removere non possunt; si symptomata respirationis impeditæ observari incipiunt; si æger jacet, capite reflexo; si inspiratio est stridula, expiratio aspera et profunda; si musculi faciei, pectoris, ventris, aut diaphragmatis, maxime intenduntur; si nares fiunt dilatatæ, venæ colli turgidæ,—*Tracheatomia* sine mora instituatur. Nam si, postquam symptomata supra dicta viderimus, postponitur, pulsus fit parvus, fluctuans, et intermittens; oculi sursum trahuntur; facies et collum frigido visci-

doque sudore obteguntur; atque mors subito supervenit.

Doctor Cheyne objicit huic operationi, 1*mo,* Quod, in quibusdam cadaveribus dissectis, spiramen satis amplum in glottidi repertum est; et 2*do,* Propter sanguinem necessario emissum in hac simplici operatione a vulnere in tracheam profluentem irritatione sic factâ parum necessariâ.

Ei quod primum objicitur, respondeatur,—Obstructionem (id quod bene notum est) fere esse foramen glottidis inter et partem in quam operatio instituitur. Id quod deinde objicitur, respondeatur his verbis Domini Chevalier, qui breviter memorat hanc operationem cum exitu felici esse institutam in puero septem annos nato, qui, tertio die postquam morbo afflictus est, a difficultate spirandi moriturus videbatur, vultu lividâ, et corpore frigidis sudoribus abducto. "The child," inquit, "was speedily relieved after the "gushing out through the wound of about

"an ounce and a half of a frothy mucus, followed by a full inspiration, which enabled him to cough up more of it."

Cheyne iterum objicit huic operationi, propter obstructionem in trachea et bronchiis manentem etiam postquam larynx vacuata fuit. Sed Chevalier dicit, tracheatomiam in Cynanche Laryngea esse utilem, potissimum ad mucosam materiem a trachea expellendam; "Thus," inquit, "enabling the patient to clear the bronchiæ, and admit air to the lungs."

Porro, a multis optimorum scriptorum hanc operationem minime esse periculosam, affirmatur. Dominus Lawrence dicit eam nullo tempore exitiabilem fuisse. Dominus Cooper eam his verbis commendat: "In cases of Cynanche Laryngea also, the glottis and larynx are sometimes rendered so impervious, that the only chance of preventing suffocation depends on the *prompt performance* of tracheatomy."

Causa præcipua ob quam suadeo ut operatio in tracheam institueretur, est hæc, laryngeam esse partem quæ sæpius inflammatione affecta est, et obstructionem infra cricoidea cartilagine esse posse; laryngotomiâ hoc modo nullum præbente commodum.

Denique quam expedit ad tracheatomiam confugere; ex hoc argumento, quod est majori vi quam ullum eorum quæ adhuc adduxi, magis lucide apparebit. Id est casus pueri quinque annos nati, ex inaugurali dissertatione Doctoris Thom. White in lucem edita Leyden anno 1786 excerptus; in quo operatio prospere instituta est.

" Puer quinque annorum per duas vel tres
" dies signis Cynanchis Trachealis laborave-
" rat, cum medicus advocatus fuit. Ægrum
" invenit anhelum, fere strangulatum. Re-
" spiratio enim maxime fuit laboriosa, atque
" spiritus emissio adeo impedita, ut vix flam-
" mâ facis et speculo prope os admotis sentiri
" posset. Die Feb. undecimo, anno 1782,

" rebus ita se habentibus, emeticum hor. x.
" A. M. præscriptum fuit, atque omni horâ
" repeti jussum. Quot emetica devoravit,
" quidne vomitione ejectum (non deduci) sed
" omnia frustra usus est. Hor. ix. vespertinâ
" nil remittente morbo morteque ipsa mini-
" tante, complures chirurgi tracheam inci-
" dendam esse consentiebant; quod statim
" perfecit Dom. Andree. Incisione factâ,
" *aër magna vi proruebat,* respiratio protinus
" facilius absolvebatur, atque æger (cujus vox
" ante vix audiri potuerat) EXCLAMABAT, se
" nunc levatum, se nunc sanum esse. Tussis
" vehementissima per canulam argenteam,
" aut tubum cavum flexilem, qui (Gallice
" *Bougie* vocatur) intra plagæ oras immis-
" sum excitata, nec prius cessavit quam ea
" penitus fuerunt amota. Dein vulnus pan-
" no ex nebula linea confecto tegebatur.

" Die Feb. xiimo.—Delirium leve noctu
" supervenit. Spiritum nunc facilius ducit.
" Calor et pulsuum crebritas minuuntur.

"Die Feb. xiiimo.—Nocte magna copia "muci flavi, pus referentis, (qui a bronchiis "plane excreari videbatur), e vulnere effusa "est, totumque thoracem externe humecta- "vit. Hodie facies, et præsertim musculi "oris, levibus convulsionibus afficiuntur.

"Die Feb. xivmo.—Pyrexia multi minor, "facilis per os spiratio, vox, quæ ad hoc us- "que tempus submissa ac stridula fuit, nunc "ad tonum naturalem redire incipit; mucus "minus copiose ejicitur.

"Die xvmo.—Omnia symptomata leviora.

"Post hac nil dignum notatu occurrit; "intra mensis unius spatium vulnus perfecte "fuit curatum, ægerque ad pristinam sanita- "tem restitutus. Duobus abhinc annis vale- "tudo permansit bona, nec ullum incommo- "dum ab incisione expertus est puer."

Fortasse necesse est ut modum operationis

instituendæ in hoc loco describam, atque in id verbis Domini *Andree* ipsius uti præstat.

" At nine in the evening, in presence of
" several of the Faculty, among whom was
" my much esteemed friend Mr Ford, sur-
" geon, I performed the operation. The
" child being laid upon his back, and kept as
" quiet as his great restlessness in struggling
" for breath would admit of, I commenced
" the operation by a straight incision from
" the thyroid gland towards the sternum, a-
" bout one inch and a half in length. I then
" cautiously laid bare the anterior part of the
" trachea, without any material hæmorrhage
" or difficulty, except what arose from the
" child's struggles. I then made a small
" transverse incision, or rather puncture,
" through the membrane which connects the
" second and third annular cartilages, and
" then a similar incision between the fourth
" and fifth cartilaginous rings. *The respi-*
" *ration was immediately relieved.*

" I now proceeded to introduce a silver ca-
" nula into the trachea through one of the
" orifices. It instantly produced a violent
" and incessant cough, until the instrument
" was withdrawn. A hollow bougie being
" introduced, produced the same effect. I
" then contented myself with dressing the
" wound superficially, cutting an orifice in
" the plasters to correspond with the open-
" ings into the trachea, and covering the
" wound with a piece of gauze laid loosely
" on the neck."

Præter hæc, alia remedia ad symptomata allevianda, commendata sunt.

Expectorantia, ut *scilla maritima*, quæ sub forma oxymel danda est, et præcipue inhalatio vaporis aquæ fervidæ, fumigationes, vapor puri aceti, sudorific. kermes min. dosibus duorum granorum bis indies; et ad pseudo-membranam expellendam, carbon. ammon. polygala seneka. Hydrargyri preparationes intrinsecus et extrinsecus; synapismi, et bal-

neum calidum. Hæc omnia remedia tamen, pro peculiari genere symptomatum, medici judicio, adhibenda sunt.

Post summam manum rebus supra tractatis impositam, casum vidi et partim curavi, de quo, ut haud levis momenti est, nunc pauca dicam.

Idibus Maiæ 1820, Georgius Bell, annos decem natus, admodum macer et adventante suffocatione laborans, in Conclavia Febrilia (Queensberry) admissus est.

Secunda hora P. M.—Respiratio valde laboriosa; inspiratio longa atque strepens, aëris per angustum orificium ruentis sono similis; tussis rauca, arida, et sonora; oculi protrusi; pallida facies atque collapsa.

De suo morbo interrogatus, digitum thyroideæ cartilagini admovit, quasi monstrare voluit, aliquam ibi loci esse obstructionem, facilem aëris in pulmones aditum impedientem.

P. 110, parvus, et chordæ vibranti similis: Ling. pura: Alv. abnormis. Catarrhi indicia quarto Id. ejusdem mensis vesperascente, apparuisse dicuntur, post ægrum frigido aëri et humido improvide objectum. Nulla efficacia remedia adhibuit.

I. Capt. statim submur. hydrarg. gr. v. et omni hora repetand. donec alv. plen. respond.

II. Capt. emeticum ex sulpht. zinc. ℈j. Utat. mist. scillit.

Decimo septimo kal. Jun.—Totam noctem irrequietus. Vix dormitare inceperat, cum, horrore suffocationis ingruente, exilivit, et quasi extremum efflaret halitum apparuit. Calomelanus tres exinanitiones, parcas et nigricantes, effecerunt. Emeticis adhibitis, nonnulla ingesta evomuit, difficultate spirandi haudquaquam alleviata. P. 110, minor et magis obscurus. Tussis molestior factus est, et cætera non secus ac supra memoravimus.

12. Hoc tempore Doctor Home præclarus nosocomii medicus ægrotos quotidie visit; atque mira celeritate qua rem peragere solet, tracheatomiam sine mora institui jussit.

Operator in partem colli anteriorem caute incidit, thyroideam, ut ille putavit, inter et cricoideam cartilagines. Operatio nullum præbuit commodum. Visum est, obstructionem esse infra partem incisam.

Respiratio magis atque magis laboriosa evadit. Musculi, qui thoracem superioribus extremitatibus jungunt, maxime intenduntur. Mors imminet. Quatuor pulveres duas exinanitiones, nigricantes et fœtidas ut antea, effecerunt. Utat Balneo calido.

℞ Mist. scillit. ℥vi.
Tart. antimon. gr. ii.

Capt. ℥i. omni hora.—Repetant. pulveres ut antea.—Applic. epispast. sterno.

Decimo sexto kal. Jun.—Plures devoravit

pulveres, qui tres parcas exinanitiones prædictis similes.

Sexta hora A. M.—Moribundus factus est. —Octava hora, interiit.

SECTIO CADAVERIS.

Integumentis colli retrorsum sectis, repertum est, operationem institutam fuisse thyroideam cartilaginem inter et os hyoidem, ideoque supra obstructionem. Glottis reperta est inspissato impleri et penitus obstrui muco, qui, ut ex cælatura subjuncta apparebit, usque ad cricoideam cartilaginem deorsum pertinuit.

Trachea fuit sanissima; atque nihil pseudomembranæ simile in muco deposito, observari potuit. Pulmones quoque ramique bronchiarum omnino integri fuerunt.

Nosocom. Febril.

Nunc concludimus medentem iterum monendo, ne minimam quidem moram interponere; eumque hortando hæc verba notabilia semper memoria tenere:

"Perdre le temps, c'est tout perdre. Plus
" on se hâte d'agir, plus le succés est certain;
" plus on tarde, moins il reste d'espoir."

Royer Collard.

FINIS.

Excudebant Jacobus Pillans & Filius.